

mina, aut scripta deperierint. Interim in illa Librorum raritate et caritate amica certe fuit hominum instructoribus Bibliothecis adfidentium ejusmodi opera. Ad calcem iterum adjectum: *Vitus hunc librum illuminavit.*

CCCXIX.

- U. 88 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 164. 4. luculente perscriptus, et rubricis distinctus complectitur *D. Aur. Augustini Ep. Hippon. Libros XII. de Genesi ad Litteram*, quorum priores duo non parum ab humore, fituque passi sunt. Inscriptio miniata: *Augustinus super Genesin ad litteram. L. I. initium: Omnis diuina Scriptura bipertita est secundum id quod Dominus significat dicens &c.* Ad calcem L. I. additur: *Legi sexto decimo kalen. decembr.* Ad calcem L. II. *Legi XVII. kal. Decembris.* Ad calcem L. IV. *Legi.* Liber XII. a vulso fine in his verbis rumpitur: *et nunc etiam ad ipsos quos obiurgabat et — —.* Leguntur haec edit. *Maur. Paris. 1689. T. III. P. I. col. 317.* ad finem n. 55. cui editioni non uno loco collatus Codex inter sinceriores referri meretur.

CCCXX.

- R. 3292 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 163. f. maj. per duas columnas eleganter scriptus, et rubricis distinctus insignitur: *In nomine sancte trinitatis Incipit expo-*

sicio primi psalmorum libri Beatissimi Augustini qui etiam decadas est nomine prenotatus. Divisionis in XV. Decadas jam Cassiodorus meminit in Prologo suo in Psalmos, sed eam in Codicibus raro reperiri, obseruarunt Mauriani in *Praef. T. IV. Opp. Augustini.* Hoc ergo Codice velut T. I. continetur *Expositio Quinquagenae I. Psalmorum* absque omnibus Prolegomenis, orditurque continuo: *Beatus vir qui non abiit &c. de domino nostro ihesu christo id est homine dominico accipiendum est &c.* Ad calcem: *Explicit. 1. 4. 7. 6.*

CCCXXI.

- R. 3293 Codex membraneus ejusdem rationis, Folior. 313. ab alia manu est Tomus II. inscriptus: *Incipit tractatus aurelij Augustini de quinquagesimo primo psalmo*, et infit: *Psalmus breuis est de quo loquendum suscepimus &c.* ut Edit. *supracit. col. 475.* Continet *Quinquagenam II. Psalmorum*, et in fine miniatam hanc Claufulam: *Explicit expositio sancti Augustini episcopi eximij doctoris super secundam quinquagenam psalterij comparata a reuerendo in christo patre ac domino domino Benedicto abbate hujus monasterij meensee (Mondsee) scripta per fratrem Jacobum keser de wratistauia professum eiusdem monasterij. finita anno ab incarnatione domini millesimo quadringentesimo septuagesimo octauo in die sancti felix in pincis.*

Scri.